

ramus quemadmodum gestum sit, exultat, et triumphat, et benedicebat tibi, qui potens es, ultra quam petimus, aut intelligimus facere, quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat, quam petere solebat miserabilibus ejus, flebilibusque gemitibus. Convertisti enim ita me ad te, ut nec uxorem quaererem, nec aliquam spem seculi hujus, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei revelaveras. Et convertisti luctum ejus in gaudium multo uberius, quam voluerat, et multo charius, atque castius, quam de nepotibus carnis meae requirebat.

---

## B. AUGUSTINI

### CONFESSIONUM LIBER NONUS.

#### CAP. I. LAUDAT DEI BONITATEM, AGNOSCENS SUAM MISERIAM.

Domine, ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae. Diripuisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Laudet te cor meum, et lingua mea, et omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi? Dicant, et responde mihi, et dic animae meae: salus tua ego sum. Quis ego, et qualis ego? Quid non mali ego? An facta mea, aut, si non facta, dicta mea; aut, si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem, Domine, bone, et misericors, et dextera tua respiciens profunditatem mortis meae, et a fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Et hoc erat totum nolle, quod volebas, et velle, quod nolebas. Sed ubi erat tam annoso tempore, et de quo imo, altoque secreto evocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem cervicem leni jugo tuo, et humeros levi sarcinae tuae, Christe Jesu, adjutor meus, et redemptor meus? Quem suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum,